

LIBRI SEXTI
TITVLVS PRIMVS,
De Medicorum erroribus à lege punibilibus.

S V M M A R I V M.

- 1 Medici nomine qui veniant.
- 2 Medici nomen late patet.
- 3 Medicus ab omni poena liber est, si, qui ab ipso curatus, ipso invito, moritur.
- 4 Medici culpa nunquam presamur mortuus infirmus.
- 5 Medicus errat omitendo, & committendo. (mus.)
- 6 Medicus tam omitendo, quam committendo tripliciter errare potest.
- 7 Culpa sociam habet poenam.
- 8 Poena debetur propter culpam.
- 9 Culpa quid.
- 10 Culpa quotuplex.
- 11 Culpa sequitur aut dolum, aut negligentiam, aut ignorantiam.
- 12 Cum ignorantia Dolus stare non videtur.
- 13 Nulla ignorantia est causa peccati, nisi per accidens.
- 14 Dolo deficiente, deficiit culpa gravior saltem.
- 15 Dolus dicitur tam in malo, quam in bono.
- 16 Dolus duplex.
- 17 Dolus quid.
- 18 Negligentia solummodo in erroribus omissionis videtur consistere.
- 19 Negligentia quid.
- 20 In omitendo non interuenit dolus verus. Fallit in Medico.
- 21 Ignorantia quid.
- 22 Ignorantiae prima species.
- 23 Ignorantiae species altera.
- 24 Dolone, an ignorantia errare dicatur is, qui ultra suam capacitatem operatur.

Medici nomine qui veniant hic. quot modis errare Medicus dicatur, & quinam errores sint à Lege punibiles.

Q V A E S T I O I.

DE Medicorum erroribus inter Miscellanea verba facere brevioribus decreveram, cum maxime multa sparsim in hisce quaestionibus occurrerint ad hoc ipsum argumentum pertinentia; cum tamen Hippocraticae, solidaeque doctrinae studiosissimus vir D. Angelus Colius, meique amantissimus admonuisset, praestabilius fore in unum quaecumque ad hanc materiam faciunt recolligere, tam insignis viri, tamque amici consilium acceptandum duxi; quamobrem titulum hunc, cui de Medicorum erroribus nomen feci, huic argumento dicavi; non tamen de omnibus Medicorum erroribus hic agendum, sed de iis tantum, qui vel ex dolo, vel ex negligentia, vel ex ignorantia ab illis in infirmos, vel in quoscumque homines medendi causa pa-

trantur, & qui punitionem à lege reportant; non solum, inquam, à lege civili, sed à Canonica etiam, eo quod Medicum peccati reum faciant.

Sed Medici nomine abuti nos hic oportet; neque enim solummodo de vere Medicis, nempe de iis, qui Rationales dicuntur, eo quod Philosophiae principis innixi Medicinam exercent, loqui nos hoc in loco debemus, sed de quibusque, qui quoquo modo in aegrorum, aut quorumcumque hominum curatione, vel in Medicamentorum praeparatione, & administratione sese immiscunt, ut primo loco Chirurghi sunt, Phlebotomiam exercentes, hoc est sanguini detrahendo quocumque modo destinari, Aromatarii, Sepiarii, Empirici, & Chemicorum genus omne procacissimum, neque solum viri, inter quos etiam, & affidentes, aut ministrantes infirmis sunt, sed etiam ipsae vilissimae mulierculae, aut ut viri infirmis ministrantes, aut medicamenta aliqua dispensantes, aut obstetriciam artem exercentes, omnes enim hi abusive medici nomine veniunt; unde est quod in l. si duas. §. Grammatici. ff. de excusat. Tur. Circulares etiam vocentur Medici. Ripa tra. de Pest. par. ult. part. 2. nu. 3. Maggon. ex Bald. decis. Flor. 11. nu. 2. Franch. decis. 564. nu. 3. par. 4. Cujac. in lib. 3. recept. sentent. Paul. iii. 6. de Legat. Carrar. de Med. par. 3. nu. 117. nomen enim Medici late patere testatus etiam ex nostris Gal. est 2 in lib. ad Theriaca. cap. 24. imo erant antiquitus multo plura Medicorum genera, quam nunc sint; quia notissimum est, & apud Herodotum auctorem vetustissimum lib. 2. comprobatum, antiquitus Medicos extitisse, qui uni tantum corporis parti mederentur, dicebanturque ex hoc Auricularii, Ocularii, Dentarii, de qua re videndus Mercurialis. lib. 2. var. lect. cap. 8.

Sed his omisissis, ad Medicorum errores accedamus, qui quidem non videntur prima fronte reportare ullam à Lege punitionem, quia ut Plato lib. 9. de Leg. vers. med. lancivit, Medicus ab omni poena solutus esse debet, si is, qui ab ipso curatur ipso invito moritur, neque dissentiant nostrae leges, Tex. in l. Illicitas. §. sicuti. ff. de off. Praesid. Ripa ubi supra, nu. 70. & facit etiam ex nostris Gal. in primum prognostic. in princ. numquam enim Medici culpa praesumitur mortuus infirmus. Ripa loco citato, num. 75. sed haec primo nec in omni Medico, nec semper locum habent, quia de ratiocinali tantum Medico intelligenda, & quandocumque culpa abest, ut elicitur ex iisdem verbis Textus citato l. Illicitas. ut ergo sciamus quandomam Medicus puniri possit, discutendum primo est, quot modis errare Medicus possit; quod vero de rationalibus Medicis dicemus, etiam caeteris erit commune.

Potest igitur Medicus quicumque; is sit, aut minister Medicorum, ut quilibet alius homo primo aut omitendo, aut committendo errare; quod innuatur à l. Qui non facit. ff. de reg. Iur. omitendo enim peccat qui non facit ea, quae facere debet, committendo qui facit ea, quae facere non debet, sed

6 sed tam omitendo, quam committendo triplici ratione Medicum errare contingit, dolo nempe, vel malitia, ignorantia, & negligentia, in omnibus enim his culpa intervenit, culpa vero sociam habet poenam, quemadmodum meritum socium habet praemium: nam poena debetur propter culpam D. Tho. 2. 2. q. 87. ar. 2. in corpore. & 2. 2. q. 108. ar. 4. est autem culpa inordinatio voluntaria, vel privatio boni. id. D. Tho. 1. prime q. 48. ar. 7. vel secundum Bart. in l. Quod Nervus. ff. Depositi. num. 6. & seq. est deviatio a Legis dispositione, circa quas definitiones qui plura scire desiderat, aut nosse quot, & qualia sint culpae genera praeter ceteris adeat Molinam de contract. disp. 203. Farinac. Theor. & pract. crimin. par. 3. q. 88. a num. 48. ad seqq. nobis satis sit dixisse, quod secundum aliquos culpa triplex est, lata nimirum, levis, & levissima, secundum alios tamen est quintuplex, hoc est, latissima, latior, lata, levis, & levissima, de qua re praeter quamplurimos videndus Bart. ubi supra, & inter modernos Farinac. loco citato, ex Iureconsultis, & alii, & ex Canonistis Azor. lib. 6. Institut. moral. par. 3. cap. 4.

10 Sed etiam culpa sequatur, ut dixi, dolum, aut negligentiam, aut ignorantiam, non promiscue tamen id de omni culpa firmandum; nam ex dolo quidem manifesto culpa emergit latissima, ex dolo autem praesumpto culpa latior, ex alio vero quocumque dolo quodcumque culpae genus potest emergere pro doli qualitate; quemadmodum etiam ex negligentia; sed ex ignorantia per se non videtur nisi lata culpa, levis, & levissima succedere posse, quia cum ignorantia non videtur stare dolo, nec manifestus, inquam, neque praesumptus, quia cum dolo semper conjuncta est malitia, & vafrities, quae aliquo modo contraria est ignorantiae; unde secundum D. Tho. 1. 2. q. 76. ar. 1. nulla ignorantia est causa peccati nisi per accidens, deficiente igitur dolo, deficit etiam culpa gravior saltem nempe latissima, & latior, in quorum altera, ut dixi, est dolo manifestus, in altera dolo praesumptus, sed videndam, antequam ulterius progrediamur, quid sit dolo, quid item ignorantia, quid negligentia.

11 Sed primo sciendum, doli vocem esse aequivocam ad malum, & bonum significandum, unde quando dolum dicimus, epithetum addimus mali, vel boni ut ff. de dolo malo, l. 1. ibi, quae dolo malo esse facta dicentur, Plautus in Rudente Act. 5. Ni dolo malo insipulatus sis. (Scen. 4.) Terent in Eunuch. Act. 2. Scen. 3. — Equum est fieri, ut à me ludam dolois, Et Act. 3. Scen. 3. — Tam cum erat suspicio, Dolo malo haec fieri omnia. Virgil. lib. 1. Aeneid. Nec latuere doli fratrem Iunonis iniqui. Et lib. 4. ejusdem. Annuit, atque dolis riste Cytherea reperis. Et ibid.

12 Una dolo Dixerim si feminina vitta duorum est.

13 Cum igitur dolo duplex sit malus nempe, & bonus. ut l. 1. §. non fuit. ff. de dolo malo. D. Tho. 2. 2. q. 55. ar. 4. ad primum. & ex Medicis. Io. Alph. à Fontech. in Spec. Med. Christ. lum. 3. in princ. hic de malo loquimur qui in ead. l. 1. §. 2. & alibi, & apud Cicer. lib. 3. de off. & alios, & ab eod. Io. Alph. à Fontech. ex nostris definitur, quod sit machinatio quadam ad decipiendum alterum adhibita; ita et-

iam Bartol. in praedicta l. nu. 12. & novissime Farinac. Theor. & pract. crimin. par. 3. q. 88. nu. 1. & seq. & ex Canonistis Azor. lib. 6. inst. mor. cap. 4. par. 3. Molina de Contract. disp. 293. n. 4. Aliam definitionem doli generaliter sumpti attulit Lessius de just. & jur. lib. 1. cap. 2. dub. 4. nu. 25. & est hujusmodi, dolo est astutiae executio sive verbis, sive factis; quae licet eadem sit cum ea, quam attulit Molina de dolo late sumpto, est tamen brevior, quod definitioni est convenientius.

Tam in erroribus autem commissionis, quam omissionis, & dolo, & ignorantia subesse potest, sed negligentia in erroribus tantum omissionis intervenit; consistit enim in defectu, cum deficiat ab actu praecipendi per defectum promptae voluntatis D. Tho. 2. 2. q. 52. ar. 2. dicitur idcirco ex mea sententia potest, Praetermissio faciendorum ex animi ignavia; atque ea de re voluerunt nonnulli Iureconsulti apud Farinac. pract. crim. par. 3. q. 88. nu. 31. in o-

mittendo non intervenire verum dolum, sed tantum praesumptum, quod tamen maxime cum de Medicis agitur est salum, quia Medicus ex vero dolo potest aliquid omittere, ut si in pleuritide, aut magna febre, aut simili morbo absq; ulla causa sanguinem detrahere omitat, ut si ei, qui venenum sumpsit deleterium, proprium alexiterium non praebet, ut à morbo, & veneno homo evictus, vitam obeat.

Ignorantia porro lato modo sumpta est rei scilicet incitiae; strictius autem dici potest, Eorum, quae scire tenemur incitiae, ut elici potest ex l. 3. C. per quas personas, ibi, & forsitan ignorat, & nescit, cujus licet multiplices species tradantur à D. Tho. 2. 2. q. 74. ar. 1. ad 2. & alibi, & à DD. in l. 1. ff. de jur. & fact. ignor. tamen ad rem nostram dicamus, eam esse duplicem, unam quidem, qua quis ignorat ea, quae scire tenetur, & sine quibus non potest debitum exercere saltem secundum communem similitudinem hominum solertiam, & haec habet profecto conjunctum peccatum D. Th. 2. 2. q. 76. ar. 6. & in hac est lata culpa, & punibilis idcirco est, immo potest in ea intervenire culpa latissima, non quidem ex parte ignorantiae per se, sed ex summa negligentia; alia vero ignorantia est, qua quis ignorat ea, quae ultra communem aliorum capacitates sunt, & in hac certe intervenit levis culpa, & idcirco in nostro casu nullo modo est punibilis.

Illud autem jure quaerendum hic videtur, num dolo, aut ignorantia errare dicendus sit is, qui ultra suam capacitem aliquid operatur; hoc enim maxime illuc in casu nostro, cum ut plurimum omne ceterorum Medicorum genus, rationali excepto, multa adhaerent ultra id, quod novit, circa infirmos machinari tenent, & multoties gravi damno ipsis existat, imo etiam & exitio. licet autem hi per audaciam delinquere soleant, quae ex ignorantia consequitur, dolo tamen peccare ut plurimum solent, maxime cum quid machinantes, quod ipsi ignorant, & ignorare se cognoscunt, & tamen, ut aliquid lucri faciant, & pecunias à credulis extorqueant, vel ut nomen sibi apud eos acquirant, promittentes quod praestare non possunt, ab operando non desistunt; videntur ergo tanquam doli puniendi.

Ex his igitur patere jam credo, quinam errores à lege punitionem reportare debeant; videntur enim quicumque dolum conjunctum habent, & maxime verum, & apud canonicas leges reos homines efficere, & poenas apud civiles luere debere. qui

qui autem ex negligentia proveniunt, si magna sit, etiam à civili lege puniri posse, & à Canonica excipiari, si modica aequo civilem quidem in considerationem non haberi, eod. Canonicam non proflus poenae esse immunes. apud modo, & ignorantia si magna, & affectata sit apud utramque legem est punibilis, si minus à pontificia tantum in eam leviter animadverti debetur.

S V M M A R I V M.

- 1 Infirmo ex ignorantia Medici decedente, non potest Medicus poena corporali puniri.
- 2 Infirmo Medici dolo perire, Medicus poena mortis puniendus.
- 3 Magna negligentia culpa est.
- 4 Medicus dolo peccans in aegrotum proditorie agit.
- 5 Medicus aegrum veneno interimens non est proditor. contrarium ibi.
- 6 Ignorantia quando praesumi possit, Medicum errasse.
- 7 Secunda praesumptio erroris per ignorantiam parati.
- 8 Tertia praesumptio.
- 9 Quarta praesumptio.
- 10 Quinta praesumptio.
- 11 Sexta praesumptio.
- 12 Negligentia locum habet tantum in omissionibus.
- 13 Negligentia quando praesumi possit.
- 14 Dolus quando praesumatur.
- 15 Secunda Doli praesumptio.
- 16 Tertia Doli praesumptio.
- 17 Quarta doli praesumptio.
- 18 Doli praesumptio ex maxime affectata negligentia.
- 19 In Medicis omnibus praeter Physicos semper ignorantia praesumi potest.
- 20 Praetergressio, aut immutatio eorum, quae à Superiori Artifice praecipuntur, à minori facta dolosa praesumenda.

In quibusnam casibus Dolus, in quibus vero Ignorantia, in quibus denique Negligentia praesumi possit.

Q V A E S T I O I I.

Non esse parem culpam in omnibus Medicorum erroribus est notissimum, ac consequenter patet, non esse parem poenam in omnibus infringendam: nam si Medicus per ignorantiam peccaverit, maxime affectata, puniendus quidem est, sed tamen illum poena corporali puniri posse non conceditur. facit auctoritas Pauli Iureconsulti lib. 5. recept. sentent. tit. 23. ad l. Cornel. de Sicar. & probant Ripa de peste parit. 2. par. ult. num. 70. & seqq. V fill. ad Afflic. decis. 123. num. 4. quod tamen contrario modo evenit, ubi dolo Medicus erraret. l. Illicitas. §. sicuti. ff. de off. Praesid. quia tunc poena mortis esset dignus, ut est notissimum, sic etiam graviter puniendus venit Medicus, ubi sua negligentia periret aegrotus, quia magna negligentia culpa est. l. Magna. ff. de ver. & verb. signif. sed multo gravius puniendus cum dolo peccat, nam Medicus in aegrotum dolo peccans ex mea sententia proditorie agit, cum proditorie agere sit, unum actibus ostendere, & aliud in mente gerere. Bartol. in l. Respicien. §. Delinquunt. ff. de Penis. at Medicus aegrote se amicum in actibus ostendit, illi promittens ex oblati medicamentis sanitatem, & tamen in mente aliud habet, unde illi vel adhibet medicamenta contraria, & noxia, vel

non adhibet oportuna; & si proditor dici potest quicumque sub praetextu amicitiae, & bona voluntatis hominem graviter decipit, & maxime qui occidit, certe Medicus dolo in aegrum peccans proditor dici potest, aeger enim illum tanquam amicum ad suae sanitatis custodiam convocat, & ille sub hoc praetextu ejus vitae infidiatur. quamquam scio aliter à Legum peritis accipi Proditoris nomen, unde ea de re non vult Carrar. de Med. par. 2. num. 342. Medicum etiam veneno aegrum interimentem debere dici proditorem, sed ego ad rei naturam, non ad nomen, aut aliorum opinionem respicio. sed quid plura? Si veneno occidens etiam non sit Medicus proditor est, ut ex Bald. & aliis dixi lib. 2. q. 1. nu. 5. & notavit ex nostris Franc. Ranchin. in Hipp. jurisjur. l. 4. rubr. an licet Medicis, &c. vers. nos tamen contra. Bol. in pract. crim. tit. de Homicid. nu. 14. quanto magis si Medicus ille sit? Necessè igitur ex his omnino videtur scire, quandomam, in quibusque casibus praesumi possit, Medicum dolo in aegrotum errasse, quando item potius negligentia, quando autem ignorantia; circa quae dici potest primo, quod Medicus in utroque errorum genere tam commissionis, inquam, quam omissionis praesumi primo potest ignorantia peccasse, quando cumque morbus, aut casus offenditur, qui de raro evenit, aut quem ipse Medicus de raro, aut numquam vidit; unde Medici juniores, qui in studiis, artisque operibus non multum sese exercuerunt, cum ceteris audaciore sint, facile per ignorantiam errant, negligentes seniores, & magis expertos Medicos convocare, ad quod quidem sub poena mortalis peccati tenentur, ut suo loco dicemus. extat hujus erroris exemplum apud Amatam Lusitan. curat. med. cent. 6. cas. 82. relatum ex ipso Amato à doctissimo viro Marco Aurelio Severino Medico, & Chirurgo Neapolitano in opere vere recondito, cui titulum fecit, De recondita abscellum natura, lib. 4. c. 7. in quo casu Medici illi, qui numquam spirituosum tumorem viderant, cum de raro etiam ab aliis videri soleat, illum adaperientes, aegro manifestam, ac repentinam mortem conciliarunt.

Secundo cum Medicus aliquod medicamentum in usum trahit, quod cum morbo, cui adhibetur habet insignem aliquam contrarietatem non vulgariter notam, ob quam aeger periclitatur, ut apud eundem Amatam quidam Medicus Acetum in colica passione praebens, necis causa extitisse dicitur, nesciebat enim Medicus hic hanc acetum contrarietatem cum dolore colico, & cum quibuscumque ventris doloribus, quos excitare consuevit. & in similibus etiam doloribus improbatur maxime in mulieribus Aceti usus ab Hipp. lib. 3. de vit. rat. in morb. acut. par. 78. scioque exhibitione spiritus vitrioli acidi ad febrem, mulierem hysterice doloribus obnoxiam spatio viginquatuor horarum à Medico sublatam, volvulo excitato.

Tertio praesumi potest per ignorantiam Medicus peccasse in iis morbis, in quibus cum adfit indicans remedium aliquod necessarium, ac generosam, ad est alia ex parte aliud multo fortius prohibens, ut, exempli causa, si adfit febris continua & magna, indicans sanguinis missionem, alia vero ex parte adfit notabilis fluxus ventris vires maxime dejiciens, & tamen Medicus sanguinem mitteret, & aeger ex hoc succumberet, certe praesumptio esse potest erroris per ignorantiam parati. Eodem modo in his casibus adveniret, in quibus praesente indi-

cante generosum aliquid, & maxime necessarium remedium, contra adesse prohibens aliquid leve, & Medicus plaris faceret prohibens leve, quam indicans forte, ut si æger summa plenitudine molestaretur cum febre, quæ indicaret subitam purgationem, alia vero ex parte adesse levis aliqua diarrhæa, quam Medicus iudicans esse prohibens sufficiens, abstinere se ab exhibitione medicamenti, aut si in ardente febre ob levem aliquem fluxum, aut levem errorem in Veneris usu præcipue in assuetu (qui error vulgo est frequentissimus) omitteret sanguinis missionem, certe tunc præsumptio erroris erit per ignorantiam commissi, cum facillimum sit, non expertum Medicum quibusdam universalibus regulis consilium fortiora indicantia pro levioribus, & leviora prohibentia pro fortioribus iudicare. Habes in hoc genere errorum exemplum apud Altimar. in lib. de med. hum. corp. morb. cap. 74. ubi Medici quidam in dysenteria cum inflammatione, in qua sanguinis missio erat fortiter indicata à dolore, à febre, ab inflammatione, iudicantes ventris fluxum esse fortius prohibens, quam esset indicans dolor magnus, inflammatio, febris, eam prætermiserunt, unde duo ægri sic tractati perierunt, cum alter graviore dysenteria afflictus sanguinis missione fuerit liberatus, ut percurrit idem Altimar. *ibid.*

9 Quarto ignorantia præsumi potest, quando in morbis adesse insignis quoddam symptoma, ad quod Medicus totam curam dirigens, principalem morbum omnino negligit, veluti imperitissimi Chirurgi apud Lang. lib. 1. epist. 4. qui circa symptomata morbi curanda desatigabantur, nescientes ea non nisi ablato morbo auferri posse, eo quod morbus esset causa symptomatum; sed è contrario ignorantia præsumi potest, quando Medicus curat morbum, & negligit magnum aliquod symptoma, quod ob sui pravitatem universam curam ad se debet attrahere; ut præteritis annis evenit cuidam Medico, qui cum in nobili curaret Tertianam simplicem, & intermittentem, cujus paroxysmus molestissima cardialgiæ associabatur, ille in ipsam febris accessione culpam conjiciens, nihil omnino curæ illud symptoma habebat; immo contendente me, maximam habendam esse ejus symptomatis rationem, ægrumque ob bilis ad os stomachi irruentis morsum ante accessionem, immo in ipsa accessione esse cibandum, quasi consilium meum irridens, ægrum in ipsa accessione expirare vidit. ego autem alios ægros ab his perneccabilibus symptomatibus, immo ab ipsa morte revocatos vidi oportune eis in ipsa accessione cibos offerens, ut Galenus ipse alias scitavit.

10 Quinto per ignorantiam præsumi potest peccasse Medicum, quancumque motum aliquem symptomaticum à morbi vi excitatum pro critico iudicat; & à Natura profectum, quamobrem aut illum negligit, aut etiam coadjuvat, sequens pravum illum morbi, non Naturæ motum, cujus erroris luculentum exemplum habemus apud Galen. in *primis Progn. tex. 4.* ubi juvenis quidam Medicus infirmum syncopitice sudantem in balneo demisit, & sudorem majorem in modum excitans, ægrum extinxit; cui par fuit error profectionis alterius Medici, cujus nomini parco, annis præteritis, qui alium ægrotum similiter diaphoretico sudore respersum stragulis coopertum suffocavit.

11 Sexto ignorantia Medici præsumi potest in morbo, qui cum esset perneccabilis, à principio levis apparuit, unde Medicus ejus levitati confusus, nullum

notabile præsidium contra ejus perneciam in principio adhibuit. hujus erroris exempla multo plura in dies offenduntur, quam oporteret; in quibus interdum habet etiam locum negligentia, præcipue si aliquod notabile symptoma à principio appareat, ex quo Medicus si debita solertia, & diligentia esset usus facile in perneciosioris morbi cognitionem venire potuisset. ut si, exempli gratia, febris à principio quidem apparuerit parva ob moderatum externarum partium calorem, ob absentiam insignis alicujus doloris, ob somnum, & cibum sufficienter sumptum, & similia, sed pulsus fuerit celerrimus, ac parvus, & adfuerit sitis molesta cum inordinata corporis jactatione, ad quæ Medicus à principio non adverterit, tunc enim tanto magis negligentia insimulanda, quanto hæc symptomata magis conspicua fuerint.

Iam vero alias dixi, Negligentiam non habere locum nisi in erroribus omissionis, cum ipsa sit prætermisso agendorum, & tamen cum negligentia maximus inesse potest dolus, ut videbimus cum de dolo agemus.

Sed negligentia, quæ nec dolosa sit, nec affectata, præsumi potest, cum lente Medicis processit in morbo præcipiti, sed non à principio tali, licet gravis esset, aut tarde medicamenta admovebatur, aut admovebatur leviora, sanguinis detractionem protrahendo, aut quantum detrahere oportuit non detrahendo; aut si vice evacuationis sanguinis per venæ sectionem, contentus sicut cucurbitulis scarificatis, & similiter in reliquis.

Dolus autem præsumi potest tam in committendo, quam in omitendo, & primo præsumi potest in committendo, quancumque Medicus relictis medicamentis turioribus, & quæ magis in quotidiano usu sunt, recurrit ad minus tuta, & inusitata (& maxime si illi ipsi ante hac in usu non fuerint) ut si in levi morbo, veluti levis esset febris, uteretur sibi-bio, Elleboro, Mercurio, aliisque quibus de raro, & in magnis morbis, & summa urgente necessitate utimur.

Secundo si remedia sint multum improporionata ægri naturæ, morbo, ætati. Anni temporis, temporis item morbi, dolus præsumi potest, ut si exempli causa; ægro debili, vigente morbo, leni, in media hyeme, morbo frigido affligente plurimum sanguinem detraxerit, aut si vomitum in summa spiritus, respirantisque angustia in magnis anni rigoribus, ægro non assuetu, nec facile vomenti, & angustis pectoris forti medicamento, ac violento provocaverit; facile enim est ægrotum ab ipso medicamento suffocari, vomitus enim morbis pectoris est contrarius.

Tertio si nonnulla generosa præsidia summam requiruntia corporis purgationem, atque exactam humorum expiationem, nulla præcedente purgatione adhibeat, ut si Thermales aquas maxime ad alterandum exhiberet, corpore cacochimo existente, aut si nec per sanguinem, nec alio modo expurgato ægri corpore summe plethorici, valido, ac forti linimento scabiem curare tentasset; scimus enim multos ex similibus linimentis vitam cum morte ex improvise commutasse, alios in difficillimos morbos incidisse, & si placet percurrite nonnulla exempla ejus rei apud Amat. *Lusit. cur. med. cent. 2. cur. 23.* sic etiam & in aliis casibus exemplificare licet, infiniti enim esse possunt hujusmodi casus, in quibus ad horum similitudinem dolose medicus errasse præsumi potest.

Quarto

17 Quarto si Medicus moveat quando non debeat, ut si purget in statu morbi, incoctis omnino existentibus humoribus, & præcipue si utatur medicamento catartico, & eradicante, si item moveat in diebus criticis, qui præ cæteris sunt considerabiles, & maxime si nulla apparente saltem causa ad hoc motus fuerit, quando autem liceat, & an liceat movere in diebus criticis longioribus demonstrat Card. lib. 1. *Contrad. Med. tract. 3. contr. 7.* subvenit vero id, quod Arist. narrat. lib. 3. *Politic. cap. 11.* apud Ægyptios nempe non licuisse ante tertiam diem movere, quod si antea movisset Medicus periculo id faciebat suo. sed & de hac ipsa re, an nimirum liceat in morbis à principio medicari idem Card. *ibid. tract. 6. contrad. 16.* notissima certe est Hipp. *sententia. 2. Aphor. 29.* In principiis morborum si quid tibi videtur movendum move, quæ similibus aliis sententiis est confirmata; quomodo tamen intelligenda sit, & quomodo contrariis Hippocraticis assertionibus concilianda, apud expositores videndum.

18 In maxime affectata negligentia dolus etiam verus, ut dixi, inesse potest, idque tunc præsumere licet, quancumque in morbo notissimo, facilisque cognitionis, & præcipiti, remedia valentiora, & proportionata prætermittuntur; coincidit vero hic error negligentia cum errore in omitendo per dolum patrato; procedit autem id, non solum quando morbus est notus, sed etiam quando remedia sunt nota, ita ut per ignorantiam prætermissa præsumi non possint, sicuti si in acutissima pleuritide, in suffocante angina, in magna & ardente febre, aliisque similibus morbis, & inflammationibus sanguinis missio prætermittatur, nullis contraindicantibus eam prohibentibus, ac denique errores magni semper debent secum habere doli præsumptionem, si eos ex ignorantia præcessisse non suspicandum.

Sed hæc locum præcipue habent in rationalibus Medicis, nempe Physicis, eorum tamen exemplo in nonnullis aliis quoque errores advertere possumus, nam neque omnium errores cæterorum Medicorum recensere, neque etiam omnes ipsorum Medicorum rationalem licet. In cæteris profecto ignorantia plerumque præsumenda, quancumque propria sufficientiam prætergrediuntur, & sese in iis immiscunt, quæ eorum captum exsuperant, ut in dies animadvertimus, Barbitonores, Aromatarios, Sepiasarios, Chemicos irracionales, audacissimos Empiricos, Circulatores, Obstetices, & mulierularum genus omne per ignorantiam peccare; quæ tamen quia semper comitem habet audaciam, nulla exultatione videtur digna. sed in iis, quæ ad eos proprie spectant, prætergressio, aut immutatio eorum, quæ à superiori artifice præcipiuntur, malitiosa præsumi potest, de his tamen peculiaribus in propriis quæstionibus agendum.

S V M M A R I V M.

1. Medicus inter avaros commutatur.
2. Medicus sunt invidi.
3. Medicus sunt detractores.
4. Ignorantia punibilis in Medico que sit.
5. Ignorantia in Medico habet cum se consuetudinem peccatum.
6. Medicus peccans per ignorantiam latam culpam committit.
7. Medicus peccat superbe promittendo certam salutem.

8. Loquacitas in Medico reprehensibilis, & quando sit punibilis.
9. Medicus requisitus ad veritatem propagandam, quando teneatur eam propagare.
10. Medicus in casibus dubiis alios Medicos socios renuens mortuiter peccat.
11. Medicus sententiam mortuam volens, ne errasse videatur, se autem delinquit.
12. Morbum salutarem dubium faciens, & verbis aggravans peccat.

De erroribus Medicorum Rationalium, & primo de iis, qui ad Mores, & scientiam spectant.

Q V Æ S T I O III.

Medicos in quovis peccati genere, ut cæteri hominum faciunt, delinquere contingit, sed habent tandem tamen vitia quadam peculiaria, quæ ipsi ab arte, quam proficiuntur, emanare creduntur, licet hoc nequaquam veritatem habeat, præcipue tamen Avaritia tam familiaris illis est, ut non immerito (quod non sine honesto rubore fateri cogor) inter avaros à Jureconsultis connumerentur, ut alias dixi.

Invidia præterea perpetua, & irreparabili detinentur, unde non omnino extra rationem Conciliant. *diff. 4.* dixerit, Medicum esse invidiæ pelagus inexhaustum, de hoc tamen vitio non mirandum, nam semper inter pares invidia, & ut Hesiod. in Theog.

Faber Fabro invidet, & Figulus Figulo.

Inde fit, ut Medici detractores sint, in qua re illos graviter errare, sive id jure faciant cum veritate detractantes, detegendo æmulorum veram ignorantiam, morum perversitatem, conditionis vilitatem, sive falso id præstent, notissimum esse censeo, & admonet Navarr. in *Manual. cap. 25. num. 60. & 64.* & Carrar. de *Med. par. 2. num. 332.* & ex nostris Codronch. de *Christ. med. rat. lib. 1. cap. 35.* Silvart. in *Med. cap. 8.*

De his tamen erroribus, sive peccatis ad nos non multum pertinet verba facere, de iis differendum, quæ Medicus ut Medicus patrare solet; & primo quidem sese offert Ignorantia, quæ in Medico est jure punibilis, quia causa est omnium aliorum errorum. D. Thom. 2. 2. q. 76. art. 2. ad secundum, quod intelligitur de ignorantia affectata ex summa diffidenti negligentia, cujus ignorantia unusquisque sibi causa est, unde intrat illud Arist. lib. 1. *magn. moral. cap. 3.* quod quancumque perpetrandi aliquid absoluta fuerit ignorantia, id non fit consulto, & proinde ne quidem afficit injuria, at cum ipse suæ causæ fuerit ignorantia, perpetravitque quicquam ex ignorantia, cujus ipse extiterit causa, is plane afficit injuria, & ejusmodi jure criminis arguetur. hæc Aristoteles, neque dubium est, quod si cum te tamquam perito in Arte utar, in me per ignorantiam affectatam quicquam perpetraveris, me injuria afficias, cum talem te tibi præstiteris, qualis non es, in dolo ergo es. Ripa ex Jacob. de *Aret. in tract. de pest. partio. 2. 1. par. nu. 67.* unde graviter Medicum peccare tali ignorantia dotatum dicunt Codronch. & Silvart. locis supra citatis, quæ tamen, ut dixi, locum habent in ignorantia affectata, nempe per quam ignorantur ea, quæ communiter sciunt, ac scire debent omnes similes artifices, alias enim non eadem poenæ

ij. Ii 2 subji.

subjiceretur, neque tam graviter peccaret Medicus, qui ignoraret ea, quæ alii Medici excellentes tantum sciunt, & multo minus si ignoraret ea, quæ sciunt solum Medici excellentissimi. quemadmodum enim ex priori Ignorantia lata culpa resultat, sic ex secunda levis tantum, & ex postrema levissima. sed hæc magis ad Morales Theologos, seu Canonistas pertinent, & videndus signanter Azor. *lib. 6. Inst. moral. cap. 4. par. 3.* Itaque hoc modo videtur accipiendum Bartoli dictum in *l. Quid Nerva. ff. Depositi. nu. 18.* cum simpliciter pronuntiavit, Medicum in arte sua committere latam culpam, quando peccat per ignorantiam. Quas vero scientias, arteque callere debeat Medicus, sine quarum aliquali saltem notitia bonus in sua arte esse non possit, immo etiam peccet Medicinam absque tali cognitione exercendo, docuerunt nonnulli D. D. præ cæteris autem exactissime Roderic. à Castr. in *Med. Polit. lib. 2. cap. 1. & seqq.*

7 Ignorantiam consequitur ut plurimum alter gravis error, superba nempe promissio suis ægrotantibus certæ salutis: nam hoc vitium proprium eorum est, qui minus in arte valent, & qui nesciunt Hippocratis assertionem in *lib. de dec. hab. nu. 6.* Medicina multum posse sibi non arrogat. est ergo hic error contra ipsam etiam artem, præterquam quod non sine peccato patrat, ut ex Medicis admonent Thom. Erast. in *disput. contra Parac. par. 1. pag. mihi 184.* & Roderic. à Castr. *lib. cit. 3. cap. 7.* & ex Iureconsultis Ripa in *tratt. de pest. tit. de remediis præservat. nu. 95.* sed præter Medicos hocce rationales crassioris Minervæ, reliquum Medicorum vulgus, & maxime audacissimi Empirici, & procacissimi illi Chimiæ, qui suæ ipsorum Artis promissa ratione moderari nesciunt, nihil est, quod sibi suisque ægrotis à suis remediis non promittant, etiam æternam vitam, si ogganare ad libitum possent, ignorantes naturæ nostræ imbecillitatem, ac fluxibilitatem, & remedium fallaciam, fidentes tantummodo iis, quæ apud scriptores reperunt, vel quæ sibi metipsis inaniter persuadent, somnifque quæ ipsi sibi fingunt, quibus postmodum ne per somnium quidem similis respondet effectus.

8 Loquacitas porro in Medico maxime rationali reprehensibilis est, & circulatoribus, aliisque hujus farinae hominibus digna, inique relinquenda, tunc autem iustis penis mulcanda, cum secreta sibi commissa, quæ detecta in damnum, aut ignominiam alicujus personæ emanare possunt, Medicus detegit; unde ad hoc juramento sese obstringit Hippocrates noster in suo iurjurando, ex quo id ipsum desumentes adnotarunt alii Medici Codronch. de *Christ. med. rat. lib. 1. cap. 7.* Silvaticus in *Medico. cap. 8.* Ranchin. in ipsum Hippocratis *jusjur. leg. 8.* qui optime addebat, quod quemadmodum Animorum Medici, nempe confessorii tenentur animi morbos, quibus eorum ægri detinentur, silentio tegere, sic & Medici, qui corporis morbis medentur, eos, quibus sui ægroti afficiuntur, non debent, si patefacere eos non expediat, propalare.

9 Sed dubitari hic potest, an si Medicus requiratur in aliquibus casibus ad detegendam veritatem, quæ cœclata in præjudicium requirentis, aut alterius personæ redundaret, teneatur contra hoc iurjurandum facere, loquor autem extra iudicium, nam in iudicio tenetur omaino veritatem detegere. Codronch. *ubi sup. lib. 1. cap. 38.* Silvatic. de *Med. cap. 8.* juramento enim ad hoc obstringitur; dabo autem in hac re

exemplum: Vir sit, qui uxorem ducere velit, à Medico, qui mulieri, quam in uxorem petit, medetur, exquirat an morbo aliquo, & præcipue contagioso laboret; postulat item alter in religionem aliquam recipi, & superior Medicum consulit, an hic tali morbo laboret, qui ingressum religionis impedire illi possit, & sic in cæteris; in quibus omnibus casibus Medicus, aut secreta sibi commissa detegere, aut cœclare cum alterius præjudicio cogitur, sed hujus quæstionis decisio non ad nos, sed ad Canonistas pertinet.

Præterea Medicus, qui in casibus dubiis alios Medicos socios renuit, mortaliter peccat, ut ex Tolito dicit Tho. A. de *Inf. p. 2. verbo Medicus, nu. 8.* Vtrum autem possit Medicus (quod in quotidiano usu est) pro Socio renuere alium Medicum, quem novit quidem plurimum in arte valere, ut alium convocet magis sibi gratum, aut amicum, certe in dubium verti potest, ac profecto si verisimile sit, hoc in præjudicium ægrotantium futurum, certum est, quod nullo modo liceat, & idcirco peccare nos Medicos dixerim in hac consuetudine; de gravitate vero peccati ad me non pertinet quicquam determinare, de ea igitur nihil addo. scio tantum ex Medicis Silvaticum *ubi supra cap. 13.* voluisse Medicum mortaliter peccare quando cumque odio, aut invidia doctiorem socium in curam non admittit, aut minus aptum, & minus doctum ob amicitiam, aut ob aliquem alium finem advocandum curat, sed magis accusandi qui bonos, ac doctos invidia, aut odio respuit, maximus enim perverstitatis cumulus est optimis viris inimicum esse, ut Plutarch. dicebat in *lib. de diff. int. ad. & Irvid.* Adverte tamen non solum non errare, sed maxime secundum Canonum constitutionem facere, qui Medicum Iudeum, aut alium quemcumque extra Christianam Religionem, aut etiam Hæreticum in socium renuit, nam acceptando hujusmodi Medicos in socios mortaliter peccaret, ut omnes Canonistæ docent, & ex Medicis Codronch. *lib. 1. de Christ. med. rat. cap. 37.* & Mercurius *lib. 2. Err. popul. cap. 18.*

Graviter insuper errat Medicus, lethalisque peccati reus efficitur, qui ne sententiam suam mutans errasse videatur, commissos errores fateri recusat, & eos acriter defendit; & tanto magis grave peccatum committit, quanto majus præjudicium ex hoc suis ægrotantibus emanare potest. Codronch. *ubi supra lib. 1. cap. 11. & seq.* Silvatic. *ibid. cap. 8.* quod quidem peccatum ad superbiam referri debet, à quo certe sese abstinere, si in mentem revocarent, fieri non posse, ut nunquam erremus, & idcirco non reperiri Medicum, qui non peccet, sed illam summa laude dignum putat Hippocrates, qui parum peccet. non est ergo hoc indecorum Medico, si quando erret, errores ingenue fateri, nam & ipse Hippocrates, & Galenus, & alii Medicinæ Proceres suos errores fateri non erubuerunt, quos imitari si quis erubescat, discat prius erubescere, quod non imitetur. sed de hac re qui plura scire desiderat, adeat ex Iureconsultis Tiraq. de *Nobiliis. cap. 31. nu. 50. & seqq.* & ex Medicis Sanctorell. *lib. 1. 3. sua Amplex. cap. ultimo.* & Zaccut. de *Princ. Medic. hist. nu. 79. dub. 50.*

Denique ex Medicorum vel superbia, vel avaritia fit, ut morbos leves, tutos, ac salutaris, graves, dubios, & periculi plenos faciant, nam vel ut eorum solertia, & potentia in arte magnificetur, & inanem gloriam apud homines consequantur, vel ut largius ab ipsis ægrotantibus de morte timidis remunerentur, hoc

tur, hoc facere consueverunt, sed in utroque casu homines malitiose decipiunt. de quo errore vide supra citat. Sanctorell. *lib. eod. cap. 10.*

S V M M A R I V M.

- 1 Medicus ante omnia tenetur infirmis suadere confessionem.
- 2 An teneatur in qualibet levi morbo, & nu. 4. dicendum ut nu. 5. & 6.
- 3 Aegritudines fere omnes in principio leves.
- 7 Levis morbus ad hunc effectum quis dicatur, & seq.
- 9 Confessionem an in prima semper visitatione Medicus suadere teneatur.
- 10 An Medicus possit per alium ægros ad Confessionem adhortari.
- 11 Medicus an, & quomodo teneatur certiorari, utrum infirmis obedierit, necne.
- 12 Ergo non obediente, an Medicus teneatur eum deserere.
- 13 Medicus an ultra confessionem teneatur etiam infirmis suadere Viatici assumptionem.
- 14 Medicus an teneatur mortem quoque suis infirmis nunciare.
- 15 Medicus an teneatur absentes infirmos ipsam consulentes ad confessionem hortari.

De erroribus omissionis ad consilia spectantibus.

QVÆSTIO IV.

1 Medicus ad infirmos curandos vocatus ante omnia tenetur illos ad confessionem hortari, quod omitendo mortaliter peccat, ut omnes Canonistæ in *cap. cum infirmis de pen. & rem. & omnes Catholici Medici docent; nam & ipsi Medici cum Doctoratus lauream consequuntur ad hoc præstandum juramento sese obstringunt. sed circa eam rem nonnulla dubia occurrunt. Primo, an hæc obligatio Medicos devinciat in quolibet morbo etiam levi. Secundo, an possit Medicus huic obligationi per alium satisfacere, ut puta per Propinquos, per Parochum, per Amicos, per Religiosos, Tertio, an infirmo non obediente teneatur Medicus juxta juramenti formam illum deserere. Quarto, an teneatur etiam suadere ægrotum ad Viatici, cæterorumque Sacramentorum assumptionem. Quinto, an etiam mortem infirmis nunciare debeat. Sexto denique, an absentibus etiam infirmis, qui ab ipso consilium quaerunt, debeat confessionem suadere.*

Et quoad primum Carrar. de *Medico ex multis DD. auctoritatibus ab ipso adductis par. 4. à nu. 28. ad seqq.* & ex Medicis Codronch. de *Christ. med. rat. lib. 1. cap. 17.* voluerunt, Medicum teneri in quolibet morbo etiam levi infirmis suadere confessionem, ad quod etiam nonnullas rationes adducunt, quarum primam nos ampliando, ac declarando dicimus, quod constitutiones Pontificiæ præcipientes Medicis, ut confessionem infirmis suadeant, loquuntur in principio conjugumque aegritudinis. at aegritudines in principio omnes videntur leviores, juxta id, quod docet Hippocrates *lib. 2. Aphor. 30.* circa principia omnia leviora, unde facile daretur casus, ut in dies ulvenit, quod infirmis à Medico levis judicaretur, & ægro ad confessionem non compulsio, in augmento vel periret, vel deliraret, vel obmutesceret, vel strangularetur, & sic non posset amplius Sa-

cramento penitentiae muniri. ne ergo in hujusmodi inconveniens labatur, illico à principio in quolibet morbo debemus ægros ad confessionem compellere. nam erit exempli gratia, qui levis in faucibus dolebit, & forte etiam febricitabit, huic si confessionem quamprimum non suadeas, poterit interdum paucarum horarum spatio squinantia suffocari; aut ita strangulari, ut spiritus via interclusa, loqui nullo modo possit, & sic de cæteris.

Alia tamen ex parte post Navarr. in *Manual. 4. cap. 25. nu. 61. versic. Tertio peccat.* M. Antonin. *lib. 1. Var. resol. cas. 30. resol. ultim.* Actius de *Infirmis par. 2. verb. Medicus. nu. 6.* & ex Medicis Io. Alphons. à Fontech. in *spec. Med. Christ. lum. 1. pag. 8. vers. Quarto tenetur.* & Gaspar. Tritan. de *cler. Med. 9. 33.* firmarunt Medicum in periculoso tantum morbo, non in levi ea obligatione teneri. nam alias videretur, ut ex Cajetano dicebat etiam Codronch. *ubi supra*, ea res ludibrio, & despectu non destitui, si in quocumque levi morbo ægri cogi deberent ad confessionem, nimisque durum esset ad id semper Medicos teneri sub eadem poena, qua in gravioribus casibus tenentur, ut ex Rosella addebat idem Actius *ubi supra*.

Ergo in hac re Medici solertia, & prudentia opus est, qua neque in constitutiones Pontificias illum peccare contingat, neque eam rem alia ex parte despectui haberi. dicendum itaque primo, quod etiam si morbus in principio levis appareat, & Medicus ex magnitudine apparatus morbofi, & ex vi, & magnitudine prægressarum causarum, ex aliisque Medicis conjecturis, probabiliter timeat illum gravem futurum, teneatur omnino in ipso principio confessionem suadere, etiam si speraret fieri posse, ut oportuno aliquo medicamento posset morbi gravitas evitari, impetuque obtundi. alias autem in levis morbis Medicum non teneri. Secundo dicamus, quod quocumque morbus habeat conjunctam febrem etiam intermittentem Medicus teneatur omnino ad hujus præcepti observantiam; & ratio est, quia tametsi morbus cum tali febre levis videatur, rationabiliter tamen semper timeendum, ne gravis fiat, cum febris quocumque ut alias ex Galeno dixi, sit causa, & signum perniciosissimum.

Sed dubitari generaliter potest, quando nam morbus ad hunc effectum debeat dici levis, & dicamus Tertio non satis esse, ut dicatur levis, quod sit dubius, immo neque satis esse, quod sit securus à morte, quia constitutiones Pontificiæ, sacrique Canones non ob id tantum jubent, ut Medici impellant infirmos ad confessionem, ne absque penitentia Sacramento decedant, sed etiam ut illi occasione infirmitatis medio eo Sacramento convertantur ad Deum creatorem suum, & recedant à via mala. non debent ergo Medici deserere hanc occasionem sub prætextu levitatis morbi, quam ab Ecclesia arripere jubentur.

Quarto dicamus levem morbum in hoc casu, & ad hunc effectum dicendum esse, qui neque illi vitæ periculo hominem subjicit, neque sua longitudine hominem ad multum tempus jacere cogit, ut qui non pertransit tertiam, vel quartam diem, aut ad summum septimam. sed videnda quæ ad hanc ipsam rem assert. Mercurius *lib. 3. Error. popul. cap. 4.* ubi præcipue morbos enumerat; in quibus Medicus tenetur huic obligationi satisfacere. Sed dubitatur ulterius, num Medicus teneatur in prima visitatione id præstare. Navarr. ex Canonistis *ubi supra* ij. li 3 voluit

voluit teneri antequam Medicus aegris medicamenta praescribat. & videtur id ipsum apertissime injungi in cit. cap. cum infirmus ibi. ante omnia, & ita videtur tenere ceteri Canonistae; & ex Medicis Codronch. ubi supra voluit teneri in principio curationis. nos, si quid in hoc cum Canonibus pronunciare possumus, dicamus, quod, quamquam saluberimum consilium sit in principio curationis huic obligationi satisfacere, tamen nequaquam peccat Medicus, si antequam tertia dies pertranserat, obligationi satisfacere aegrum curet, nam per tres dies licet aegrum visitare, etiam si penitentiae Sacramento sese non muniverit; prima ergo die licebit morbum observare, secunda confessionem suadere, tertia invisere, an aeger obedierit, nec ne, & hoc nisi major urgeat necessitas, ut si morbus esset praecipuus, tunc enim absque illo dubio in prima visitatione, antequam quicquam praescribamus, tenebimur ad confessionem suadendam, alias, servatis quae diximus, post tertiam diem ad aegrum, qui non obedierit, non redibimus. licet certe si juxta formam Juramenti, quod suscipimus, sit procedendum, semper ante omnia debeamus huic debito satisfacere, ea enim ita habet, Omnes, qui ad manus meas devenient primum ad penitentiae Sacramentum suscipiendum hortabor, alias post tertiam diem, nisi confessi fuerint, non redibo. nulla tamen necessitate cogimur ad sequendum indifferenter in quovis casu Navarrae, & Codronchii consilium, licet optimum sit, volentium teneri omnino Medicum ante ullius remedii applicationem aegro confessionem suadere, absque peccato enim, ut credo, poterit ille medicamenta primo praescribere, & dehinc aut immediate post, aut in secunda visitatione aegrum ad confessionem hortari, nisi major urgeat necessitas.

Vertitur secundo in dubium, an Medicus huic obligationi possit per alium satisfacere, ut per Parochum, aut per Propinquos, Amicos, Assistentes, Religiosos, & similes. Nav. ubi sup. & alii apud Codr. ibid. & Gasp. Trist. de Cler. Med. §. 33. affirmativam sententiam sequuntur, pro quibus videtur facere protracta Reg. 72. in sexto, sed hoc impugnat idem Codr. ibid. nec immerito, quia praecipuum obligat ipsos Medicos ad suadendum aegros ad hujusmodi Sacramenti susceptionem, propinqui vero, & aliae personae possunt, ut idem Codronch. addit, in ea re negligenter se gerere, & sic obligationi non erit satisfactum, & tamen Navarra eximit Medicum a peccato, si illi, quibus hanc provinciam Medicus demandaverit, negligentes fuerint; mihi autem, si quid in hoc pronuntiare licet, nimis indulgens videtur Navarra; nam praeterquam quod regula illa, Qui per alium, non habet locum hic, intelligi etiam posset, quatenus haberet locum, veram esse, quando nulla intervenit disparitas actionis inter facientem, & jubentem facere; at hic est omnino dispar ratio, quia multo majorem efficaciam habet suscipio Medici tunc ad confessionem, quam cujuscumque etiam Parochi, aut Religiosi; primo quia infirmus Medico indigens, tanquam Deum illum veneratur, illicque in omnibus obtemperare satagit; secundo quia aeger sciens Medicum hoc ex debito suo facere, alias non posse ad eum redire, nisi obedierit, libentius, ac promptius obedit, quam si quis alius ejus rei ipsum admoneat; videretur ergo dicendum, salvo semper saniori judicio, non eximi Medicum a peccato, nisi per semetipsum huic obligationi satisfaciat, in qua sententia confirmor ex verbis Panorm. in cit. cap.

cum infirmus de Penit. & Remiss. nu. 2. qui vult, quod cum praecipitur Medico, quod moneat, & inducat, hoc debeat intelligi cum effectu, & cum efficacia; non enim satis est simpliciter movere aegrotum, & multo minus movere per alium, quia hoc non est cum effectu movere, & impellere aegrum ad confessionem. Sed quomodo certior fieri debet Medicus, an aeger obtemperaverit, & penitentiae Sacramento sese muniverit? an ad suae conscientiae exonerationem sufficit aegri, vel assistentium dicto stare? an potius tenetur ut alia certiori via hoc habeat manifestum? Io. Alphons. a Fontech. ubi alias lum. 1. pag. 8. vers. Quarto tenetur, & Gasp. Trist. ubi sup. voluit, teneri Medicum de hoc per fidem Parochi, vel confessorii in scriptis certiorari, ad quod etiam videtur Medici obligari ex decretis Summorum Pontificum non multis ante annis emanatis, quibus obedire tenemur, alias videbatur sufficere quomodocumque de ea re non dubiam cognitionem habere.

Dubitat tertio, an si aeger in hoc Medico non obtemperaverit, Medicus debeat sub poena peccati illum deserere. Navarra cum summis Carrar. de Med. par. 4. nu. 35. & Actus de Infir. par. 1. c. 43. nu. 33. & ex Medicis Gasp. Trist. ubi supra, eximunt aegrotum non esse deserendum quia Medicus peccaret contra caritatem. contra hos tamen pugnat ex Medicis Codronch. ubi supra, qui vult transacto tri-duo omnino aegrotum esse deserendum, nisi obedierit. certe, inquam, nisi Medicus cogatur sub poena peccati infirmum non obedientem deserere, frustratoria fuit ejus clausulae applicatio in juramento, quod a Medicis ex constitutionibus Pontificis praestatur, quod post tertiam diem ad aegrum non redibunt, qui huic debito non satisfecerit. satis ergo erat injungere Medicis, ut sub poena peccati ad confessionem aegrotos suos hortarentur. itaque si frustratoria ea juramentum verba esse non debent, Medicus omnino mediis suis tenetur ad eorum adimplementum, unde idem Codronchius, qui acriter hanc opinionem tuetur, respondet ad id, quod dicunt, Medicum non teneri deserere infirmum, qui non vult obedire Sacramento penitentiae suscipiendo ex eo, quod peccaret contra caritatem, dicit; quod multo magis forte peccaret contra caritatem, si cum suae ipsius Animae detrimento Pontificio mandato, & juramento non satisfaceret; additque, Pontifices nihil potuisse praecipere contra caritatem; deserere ergo infirmum non obedientem in hoc praecipio non est contra caritatem. Alii distinctione in hoc casu usi sunt volentes, quod si suppetat copia aliorum Medicorum, teneatur Medicus infirmum deserere, si minus non teneatur, sed id, ad quod unus tenetur, tenebitur & alius, omnes ergo Medici postquam aegrum ad confessionem fuerint hortati, debent non obtemperantem deserere. Ego quidem, ut libere sensum meum patefaciam, nimis rigorosam, ac duram existimo Codronchii sententiam, & omnino, si quid mihi in hoc pronuntiare licet, dixerim, quod quandocumque imminet evidens vitae periculum, si Medicus deserat infirmum, non debeat illum deserere, immo puto quod peccaret deserendo, in aliis autem casibus, quando videret pertinaciam infirmi, credo quod omnino teneretur illum deserere, & maxime si adit copia aliorum Medicorum, hoc tamen pertinet ad Canonistas decidere.

Inurgit quarto alia dubitatio, num scilicet in morbo praecipiti, & periculo pleno teneatur Medicus ultra confessionem, etiam ad Viaticum assumptionem

nem aegrum hortari. Mercur. lib. 2. Err. popul. cap. 25. vult etiam ad hoc Medicum teneri. ego Canonistarum nullum offendi, qui ad hoc Medicum obligatum dicat; neque juramentum, quod in doctoratus laurea assumenda praestamus, ad hoc nos obstringit. & tamen licet Medicus non teneatur sub poena peccati, & ex proprio officio, si Parochum, Religiosos, Confessarios, assistentes, propinquos, amicos, & ipsum aegrum in hoc negligentem videat, saltem ex caritate tenetur, ne aegrum ipsum tam pretioso animae remedio sub finem vitae defraudet, ex quo quot, & quanta ejus salutis beneficia consequantur, nullus sanae fidei homo est, qui nesciat, adde quod facientibus haec non minus corporis, quam animae salutis sunt proficua. ac profecto etiam ad corporis salutem procurandam a Medico proponi tanquam remedia tutissima possunt, anteposita semper Animae salutis; quia certum est, morbos animi etiam corpori officere arg. tex. in cap. cum infirmus saepe citato, at nihil est, quod animum pejus afficiat, quam conscientia delictorum mens. quis autem est, qui aliquando in se ipse non sit expertus, quantopere post sacramentalem confessionem, & multo magis post sacramentalis Eucharistiae assumptionem se ipso laetior, & alacrior existat? Videtur enim Anima deposita gravissima, ac perneccanti peccatorum sarcina, recreari, ac respirare, & ex hoc ipsissimum corpus à morbis levare.

Quinto dubitatur, an Medicus teneatur etiam mortem infirmo nunciare. Navarra ex Canonistis ubi alias, n. 63. & ex Medicis saepe adductis Codronch. ibid. cap. 19. & Io. Alphons. a Fontech. in spec. med. christ. lum. 1. vers. Rogabis fortiter. ponunt aliquos casus, in quibus voluit Medicum teneri, nempe cum speratur ex hac denunciatione Medici infirmo facta, aliquod magnum bonum subsecuturum. Mercur. lib. 2. Err. popul. cap. 25. vult Medicum teneri denunciare mortem saltem propinquis, & adstantibus ad scandala evitanda. ego quae addam sicuti & superius allata omnia Canonicae censurae subijcio, & meam tantum opinionem profero, non ut pro vetera, si minus vera sit recipiatur, dico igitur, non videri ad Medicum pertinere mortem aliquo modo aegro nunciare, nisi forte ab ipso aegro, ut fit, instanti ob suae animae salutem, de hoc interrogetur, aut si nulla alia via sit, quae magnum scandalum evitari possit aegri mortem posset, licet sufficeret etiam eo casu per alium hoc aegro denunciare. satis ergo se ab omni culpa immunem Medicus reddet, si Parochum, Sacerdotes, Propinquos, assistentes, amicos ejus rei admonuerit. & ratio est, quia Medicus corporeae salutis praepositus, dummodo satisfaciat debito de suadendo confessionem, quod ipse aeger scit ad Medicum pertinere, si mortem quoque ab eo sibi denunciari videat, à quo salutem expectat, absque dubio insolito timore, ac terrore afficietur, forte etiam ira, & exandescencia in ipsum Medicum commovebitur, & mortem accelerabit, scioque infirmos nonnullos Medicis haec nunciantibus, & testamenti confessionem suadentibus iratos, & animam despondentes respondisse, hoc ad Medicum non pertinere. alios omnia in postremo remedium recusasse, & alia inde mala, ac scandala evenisse. Licet ergo Christianus Medicus non debeat (quod Galen. volebat comm. 4. in sexto Epid. sex. 8.) certam incolumitatem aegro polliceri, quando adest aliquod vitae periculum, ne spe corporeae salutis,

salutis aeternae desiderio distrahat, nunquam tamen debet certam mortem enunciare (nisi aliquid majus urgeat) sed hoc Parocho, confessorio, religioso praestandum relinquere; cui sententiae videtur adhaesisse Actius de Infir. cap. 43. nu. 26. & segg. & ex Medicis doctissimis Gabriel Fonseca in sua Med. oeconomia cap. 11.

Ultimo dubitatur an Medicus absentes infirmos, qui ipsum consulunt, teneatur ad confessionem scriptis, vel nunciis hortari. hoc dubium à Canonistis est praetermissum, illudque movent ex Medicis Codronch. ubi saepe cap. 18. & Mercur. ubi alias, lib. 2. cap. 25. & uterque in affirmativam sententiam inclinat, & ad hoc sub poena lethalis peccati voluit Medicum esse obligatum. Horum Medicorum consilium pium quidem est, & homini Christiano acceptandum; sed quod Medicus moraliter delinquit hoc omitendo, nimis durum est, & falsum credo, quia ex forma juramenti obstringimur ad illos tantum hortandos, & impellendos ad confessionem, ad quos in lecto jacentes accedimus, & de hoc, ut de superioribus, Canonistae determinare debent.

S V M M A R I V M.

- 1 Medicus an tuta conscientia possit absentibus infirmis mederi.
- 2 Medicus non potest quicquam contra Animae salutem aegris suadere.
- 3 Infirmitas corporis ab infirmitate Animae.
- 4 Coitus ad corporis salutem an à Medico suaderi possit.
- 5 Conjugatus an possit Medicus coitum suadere.
- 6 Medicus teneatur praescribere remedia certa, non dubia.
- 7 Coitus licitus à Medico suaderi potest ex causa sanitatis.
- 8 Actus venereus inter conjugatos licet non sit actus virtutis, non est contra virtutem.
- 9 Coitus conjugatus etiam absque ulla spe generationis non est illicitus.
- 10 Coitus moderatus est salubris, & causa curativa multorum aegritudinum.
- 11 Accubitus cum Virginitate causa sanitatis Senibus, aut juvenum vultus an suaderi possit.
- 12 Pollutio causa sanitatis an procurari possit.
- 13 Pollutio voluntaria est peccatum mortale.
- 14 Ebrietas à Medico causa sanitatis an suadenda.
- 15 Ebrietas ad nonnullos morbos curandos laudata.
- 16 Medicus non debet suadere Ebrietatem.
- 17 Ebrietas ex aliis rebus quam ex vino, aut Cerevisia, an à Medico suadenda.
- 18 Circa jejunium quodnam consilium dare possit Medicus remissive.
- 19 Cessationem à recitatione divinarum officiorum quando consideret Medicus possit remissive.
- 20 Virginitatem dissuadere an possit Medicus decidendum num. 25.
- 21 Actus Masturbationis non solum est licitus, sed etiam meritorius.
- 22 Virginitas in statu Politico perniciofa. Falsum.
- 24 Conjugium praeserere Virginitati est Haereticum.
- 25 Virginitas neque noxia, neque insalubris.
- 26 Medicus in iudicium tanquam peritus vocatus peccat mortaliter falsa referendo.

De erroribus commissionis ad Con-
silia spectantibus.

QVÆSTIO V.

PRIMO sese offert dubium jam diu agitatum, an nimirum possit Medicus ab arte primo, debinc etiam an tuta conscientia absentibus mederi, ac consilium dare; & Codronch. lib. 1. de Christ. med. ratione cap. 5. rei difficultatem in hoc puncto ostendens, in negativam sententiam ire videtur, quod si aliquando Medico liceat, tunc voluit illum tutiora, & clementiora medicamenta debere præscribere, validioribus omnino prætermittis. neque dubium est, ut elicitur ex Galeno in documento de Euer. Epil. quod absentibus consilium dare est undequaque difficile, ac omnino periculosum. Codronchii tamen sententiam possumus aliqua ex parte moderari dicendo primo, quod quodcumque Medicus ab aliis Medicis, vel à personis expertis certior fiat de natura, & accidentibus morbi, de temperamento, & viribus ægrotantis, & de aliis ad hoc necessariis possit & ex arte, & tuta conscientia absentibus mederi, & quæcumque medicamenta indifferenter præscribere, ut in dies à quibuscumque Medicis factitari absque ullo conscientia scrupulo observamus.

Secundo dicendum neque tuta conscientia, neque ex arte Medicum posse absentibus mederi, si aut incertam, & dubiam, aut non sufficientem relationem eorum habeat, quæ diximus; quomodo enim curabit morbum, quem non cognoscit, aut ægrum juvare aliquo modo poterit, cuius naturam, & vires ignorat? poterit tamen quædam generalia præscribere, ut quæ pertinent ad vitæ rationem saltem aliqua, quædam item medicamenta clementiora, ut dicebat Codronchius; quin etiam & sanguinis missionem, dummodo nonnulla prius ipse interroget, & alia etiam admonet, ut de viribus ægrotantis, de symptomatibus, quibus affligitur, de sexu, de ætate, de vitæ instituto, & similibus, & admonet insuper ne præcesserit ulla insignis evacuatio, aut veneris immoderatus usus, & alia, quæ possint sanguinis missionem impedire.

PRÆTEREA Medicus, ut omnes Canonistæ admoneant, & cum Canonistis Medici omnes catholice sentientes, non potest quicquam, quod contra Animæ salutem sit ægris suadere; sic expressissime cavetur in cap. cum infirmus de Penit. & remiss. in hæc verba, Cæterum cum anima sit multo pretiosior corpore, sub interminatione anathematis prohibemus, ne quis Medicorum pro corporis salute aliquid ægroti suadeat, quod in periculum animæ convertatur, quod non desisterunt etiam admonere ipsi Medici, ut Forest. lib. 4. Obs. Chirurg. obs. 6. in schol. Codronch. lib. 1. de Christ. med. rat. cap. 20. Gasp. Tristan de Cler. Med. §. 36. qua occasione sumpta dico, Medicinam, si res iniuriis perferretur, non querere simpliciter corporis sanitatem, ita ut de Animo non sit sollicita, imò potius contrarium, querere nempe corporis sanitatem ad hoc ut Animus valeat,

— Et sit mens sana in corpore sano.

alias incassum laboraret, non solum quia corporis infirmitas originem trahit aliquando ab infirmitate animi, ut in cit. cap. cum in infirmitas, unde non remoto morbo animæ, non induceret sanitatem, sed etiam quia nulla potest vere dici sanitas a deo ubi anima sana non sit, ergo de necessitate Medicina debet querere Animæ sanitatem, & sanitatem corporis ad A-

nimæ salutem dirigere, qui igitur ut corporis sanitati consulat, animæ sanitatem negligit, non in præcepta modo divinæ legis peccat, sed apud veram etiam Medicinam ut Anathema habendus, quamquam autem Medicum nos pro sanitate corporis tantum consulamus, certe si pro sanitate quoque Animæ in iis, quæ ad eum spectant, consuleremus, non minora præsidia ab ipso in animi reportarem, quam in corporis salutem reportemus. sed quotusquisque homo est, qui ad animi morbos auxilium à Medico exposcat? deplorandum quidem est, ut neglectis omnino auxiliis, quæ ad animi morbos Medicina suppeditare potest, sola ea expectamus, quæ corporis saluti prospiciunt. sed de his longioribus egi in libris de Animi passionibus, ac morbis, de eorumque cura tam Physica, quam morali vulgari sermone exaratis.

Cæterum cum multa sint quæ Medicus contra Animæ salutem hominibus suadere potest, aut de omnibus, aut de plerisque saltem singillatim agendum. Dubitatur ergo primo, an Medicus possit ad alicujus morbi curationem, aut etiam ad evitandam mortem, ægro coitus usum suadere, omnesque DD. unanimiter dicunt non posse, quod in tantum est verum, ut non solum peccet hoc aperte suadendo, verbiusque explicitis, sed etiam implicite, & conditionaliter, ut declarat cum aliis Navarra loco citato, & ego quidem non modo existimaverim peccare Medicum conditionaliter loquentem, ut Navarra dicit, Ego hoc tibi non consulo, sed si tale quid faceres, sanareris, sed etiam si cum hac exceptione loqueretur, Nisi peccatum obstarit, coitus usus tibi sanitatem restitueret, quia quantum est ex parte sui Medicus consilium etiam per hæc verba dare videtur, & facile dare potest occasionem peccandi anteposita sanitatis recuperatione, & voluptate propositi remedii.

Hæc autem habere locum in coitu illicito nemo inficiatur, sed dubitant nonnulli, an etiam licitum coitum Medicus possit conjugatis suadere. Turrecremata, ex quo Actius de Infirmit. p. 1. cap. 44. nu. 29. dicit non posse saltem absque peccato veniali, quod tamen cæteri non videntur admittere, quia volentes Medici non posse suadere coitum, omnes loquuntur de illicito, ita post alios Navar. ubi alias, nu. 62. Less. de Inst. & Inst. lib. 4. c. 3. dub. 14. Carrat. de Med. p. 4. nu. 63. Carranz. de part. cap. 20. q. 8. & ex Medicis Codronch. ubi sepe lib. 1. c. 20. Mercur. lib. 7. error. popul. cap. 41. Ratio tamen videtur adduci posse pro Turrecrematæ opinione, atque ea est, quod Medicus, ut suo loco probabimus, tenetur præscribere remedia tuta, & certa, non dubia, & quæ periculo possunt hominem exponere; sed tale remedium est coitus, quia semper noxius, nunquam salutaris, aut tam de raro proficuum, ut iure suspectus esse possit, quod autem sit noxius multa, ne infinita dicam, probare possunt, quæ tamen data opera relinquam; celeberrimum est Chimæ Pythagorici dictum, venerem tunc esse exercendam, cum quis damnum aliquod subire vult, vel ut alii, cum quis se ipso deterior esse desiderat. si quis autem plures rationes, & auctoritates percurrere velit demonstrantes coitum esse semper noxium, & insalubrem, adeat ex Iureconsultis Cagnol. in Epist. de Vita, & reg. bon. Princ. nu. 137. & Tiraq. de Nobil. cap. 31. à num. 195. ad seqq. & de leg. Cornub. Glos. 1. par. 10. à num. 6. ad quam plures seqq. multa, ne omnia dicam, congerentem, & post eum Carranz. de part. cap. 20. q. 8. & ex Medicis post antiquiores Nicol. serm. 6. tract. 2. cap. 5. Cagna-

tum lib. 1. Obs. 1. Rod. à Castr. lib. 3. de nat. mul. par. 1. cap. 3. & novissime Antonium Sanctorell. lib. 17. seu Antepax. cap. 5. & ex aliis professoribus Cæl. Rodig. Antiq. lect. lib. 15. cap. 4. & seq. quod autem multi dicunt, Venerem aliquibus morbis prodesse, & quod ipse Hipp. 6. Epidem. sect. 5. tex. 22. coitum dixerit esse utilem morbis ex pituita, & Arist. lib. 4. problem. cap. 31. utilem esse morbis melancholicis, & iterum Hipp. lib. 1. de rat. viit. præceperit Venerem esse magis utendum in Aquæ accessionibus, minus in ignis incursionibus, & qui firmaverit quoque lib. 7. Epidem. inf. Dyenteriam à turpi scortatione solvi, quod & Amat. Luit. experientia confirmavit cent. 2. curat. med. cur. 47. hæc inquam omnia videntur à Medico bene elicitibus satis refutata, ac confutata, nunquam ergo coitus à Medico est suadendus quantumvis alias licitus existat.

His tamen non obstantibus, dicendum videtur, salvo semper meliore iudicio, licitum coitum pro sanitatis remedio à Medico suaderi tuta conscientia posse: si enim coitus est licitus, non suadet Medicus rei illicitæ operam dare, potest ergo coitum suadere. licet enim actus veneris inter conjuges non sit actus virtutis, non est tamen contra virtutem, imò licitus actus est, & laudabilis, si debito modo, & ad non malum finem celebretur. D. Tho. 2. 2. q. 153. art. 2. imò ut addit, non est minus licitus coitus ad sustentationem humanæ speciei, quam delectatio in cibis ad conservationem individui. Inde non video, quomodo locum habeat opinio Io. Brunelli de sponsalib. & matrim. concl. 8. nu. 12. volentis, quod actus concubitus ad evitandam incontinentiam, & fornicationem cum alia muliere, sit cum propria uxore peccatum veniale, sed in his ego me non admisceo, licet autem instari possit, quod quando coitus à Medico suadetur, non suadetur ad hunc finem, nempe ad generationem, sed ad alicujus morbi sanationem, tamen respondendum, quod satis sit, si finis principalis copula sit generatio, licet cum hoc sequatur, quod sit remedium alicujus infirmitatis; neque enim à Medici consilio impeditur principalis ille finis, tunc enim non liceret coitum suadere, licet coitus conjugalis absque spe futuræ generationis non sit ullo modo illicitus, ut est coitus inter valde senes, & coitus cum prægnante, cum qua nulla secundum plurimum spes est novæ generationis donec uterum gestet; & tamen coitus hujusmodi sunt liciti, habet enim copula conjugalis præter finem generationis alios bonos fines ab ipsius Theologis, & Canonistis enumeratos; & inter Medicos à Moxio de cur. morb. mul. per venæ sect. lib. 2. cap. 16. Coitum vero moderatum esse saluberrimum, & causam curativam multarum ægritudinum, post Galenum lib. 6. de loc. aff. cap. 5. Aer. ferm. 3. cap. 5. & Avic. Constantin. Haly, & alios antiquorum dicit Tadd. Florent. in Sag. Ioann. cap. 30. & Nicol. serm. 6. tract. 2. cap. 4. & late demonstrat Concil. diffin. 124. Roderic. à Castr. de Nat. mul. cap. 3. lib. 1. & novissime Franc. Ranchin. de morb. Virg. sect. 3. cap. 2. & de morb. sinum sect. 1. cap. 10. & Sanctior. de Sanctior. in meth. vitand. err. lib. 4. cap. 9. neque deest ex Iureconsultis, quem adducam abunde de ea re differenterem Tiraq. de Leg. Cornub. leg. 15. Glos. 1. à nu. 73. ad plures seqq. Vnde verum non est, coitum semper esse noxium, nunquam salutarem, quia, ut ex Rufo Aetius loco supra citato, Naturale opus coitus est, nullum autem ex naturalibus operibus nocivum est; & om-

nium quæ superfluum salubris suo tempore est evacuatio, quia Naturam veluti à sarcina sublevarat, quæ aliquando ex se ipsum superfluentem sanguinem, & ipsillimum semen non modo absque noxa, sed maximo cum commodo sponte excernit, utpote quæ per eas excretiones hominem aliquando ab imminente morbo, & ab ipsa morte vindicare soleat. & si coitus intermissio tantopere nocet, ut demonstrat Hippocr. in lib. de his, quæ ad virg. spectant, & Gal. lib. 6. de loc. aff. cap. 5. & cum his Epiph. Ferdinan. & Sanctorius locis supra adductis, certe reditus ad coitus usum ab his nocuentis hominem liberabit.

Aliud insuper insurgit post hoc dubium, an liceat Medico senibus accubitus puellarum, virginumque suadere, quemadmodum vetulis accubitus cum juvenibus, vel adolescentulis ad aliquem morbum profigandum, ut Medici, vel servi suaserunt Regi David jam senio confecto, sacra scriptura narrante lib. 3. Reg. in principio: quod enim accubitus juvenularum senibus, & juvenum vetulis sit salubris præter experientiam testem, probatur ratione à Francisco Ranchin de morb. sen. sect. 1. c. 8. demonstrans quoniam modo hic accubitus hujusmodi personas juvare possit. In hoc dubio decidendo, remedii suspicio ante omnia præ oculis habenda, etiam si præcipitate ætatis hominibus suaderetur, quamquam enim certi essemus de impotentia conclamata hominis, tamen certi esse non possumus, an aliquam finitram cogitationem in senes hic accubitus excitare possit, & sic cum non solum evitare debeamus consilia, quæ peccata suadent, sed etiam ea, quæ dant, aut dare possunt occasionem peccati, concludendum à Medico non posse tale remedium tuta conscientia proponi, sed esse potius in alia simillima remedia committendum, de quibus idem Ranchin. ibid. nisi adeo tenellæ ætatis pueros, & puellas in hac occasione assumentes curaremus, ut omnis peccati suspicio omnino evanesceret.

Sed circa Veneris usum aliud dubium non præmittendum excitatur, an liceat nimirum ob sanitatem recuperandam pollutionem procurare; videtur autem prima fronte incassum de hoc dubitari, quia si coitum suadere non licet, multo minus procurare pollutionem, cum pollutio voluntaria sit peccatum mortale, ut ex communi Lessius de Inst. & Inst. lib. 4. cap. 3. dub. 14. in princ. Sed instatur an liceat saltem ad evitandam mortem, ut maxime in hysteris mulieribus, quæ suffocantur, & aliquando ex procurata feminis emissionem reviviscunt, ut in vidua, de qua Gal. cit. lib. 6. de loc. aff. cap. 5. sunt enim ex Canonistis, qui hoc in aliquibus casibus licitum esse existimant. Sanchez de Matrimon. lib. 9. disp. 17. nu. 19. Tom. 3. relatus per Moxium ex nostris lib. 2. Method. med. morb. mul. per ven. sect. cap. 17. & ita se alias sensisse fatetur Codronch. lib. 1. de Christ. med. rat. cap. 21. tutior tamen sententia est, hoc in nullo casu unquam licitum esse. Less. de Inst. & Inst. lib. 2. cap. 9. dub. 10. num. 61. & ex Medicis idem Codronch. ibid. Ranchin. de morb. virg. sect. 3. cap. 2. Moxius ubi supra, qui acriter impugnat Sanchez opinionem, ejuisque argumentis pro sua opinione allatis satisfacit.

PRÆTEREA dubitatur, an Medicus possit abortum suadere, & absolute loquendo omnes negant, dubium tantum est, ut in superioribus casibus, an id pro recuperanda sanitate, aut saltem pro evitanda morte interdum licere possit; de qua re quia ma-